FALSIDICUS FEGIUS EX MERITO DEPEXUS, H.E. DISSERTATIO INAUGURALIS D. GEORGII PHILIPPI...

Georg Philipp Stenger, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Nihil impudentius cogitari poteſt, qvam qvod perditiſſimus calumniator, qvi ſub nomine VERIDICI FEGII latet, in Diſſertationem meam inauguralem ſub præſidio B. Brueckneri *de Remiſſione Feloniæ tacita, ejusque modis & effectibus*, in hac Alma Salana d. V. Aprilis M DCC XXX. habitam confinxit, & libello famoſo, paulo poſt edito, in publicum ſpargere auſus eſt, qvaſi illa ex Diſſertatione D. JAC. CAR. SPENERI *de tacita remiſſione Feloniæ,* qvæ anno M DCC XIX. Wittembergæ prodiit, tantum non ad verbum exſcripta eſſet. Contempſi qvidem eo tempore infames chartas, qvæ Wittembergam, qvaſi ibi impreſſæ fuerint, præ ſe ferebant: qvia vix qvenqvam tam ſtupidum, aut pari cum FEGIO malignitate corruptum fore Lectorem credebam, qvi utramqve Diſſertationem vel obiter conferendo non animadverteret, inſtitutum mihi fuiſſe, SPENERI ſententiam, *an tacita feloniæ remiſſio detur,* in dubium vocantis, ejusqve vix ullum uſum agnoſcentis, refutare, ideoqve totam ejus diſſertationem ſub examen revocare. Nomen SPENERI tum adhuc ſuperſtitis, cum, non ſine certa conſilii ratione, omittendum ſtatuiſſem, fieri non potuit aliter, qvam, ut ejus argumenta, qvin ſæpius ipſa verba recenſerem, tum vero etiam Doctorum, qvos ille refellere ſategit, ſententias & rationes pariter ac leges, qvas SPENERVS vel aliter

Digitized by Google

explicat, vel earum argumenta ad feloniæ tacitam remiſſionem nihil facere contendit, eodem fere ordine proferrem, & qvatenus vel recte vel injuria SPENERVS mihi agere videretur, exponerem. Hinc illa *utriusqve Diſſertationis convenientia*, ex qva Fegius plagii crimen mihi impingendi occaſionem arripuit, utqve lectoribus libelli ſui famoſi fucum faceret, non modo inſtitutum meum, qvod in *Prologo* ſatis luculenter indicaveram, omnino diſſimulavit, ſed etiam ea diſputationis loca, in qvibus ſolidæ doctrinæ de hoc argumento fundamenta ea ratione poſui, qva vix antea factum, & in qvibus SPENERO ne qvidem per ſummam calumniam aliqvid vindicare poterat, plane omiſit, ſub neqviſſimo prætextu, ſe ita feciſſe, *ne in controverſias, qvæ ad rem non pertinerent, incideret.* Nimirum *ad rem*, qvam impudentiſſimus homo agebat, utiqve non faciebant ea, quæ calumniam intentatam cuiqve detegere potuiſſent. Et hactenus qvidem

Conſcia mens recti SCVRRÆ mendacia riſit.

Sed cum nuper famoſas ſchedas virulenta acceſſione veſtitas denuo in publicum ire juſſerit, ſiniſtris, vel imperitorum, vel malevolorum judiciis occurrendum, neqve bonam cauſam defenſione deſtituendam eſſe duxi, ne ille me ſuis inductionibus convictum & ſilentio meo confeſſum gloriaretur aliisque ſui ſimilibus facile perſvaderet. Age, itaque, o mendax & impuriſſime calumniator, *in jus veni!* Qvamvis tecum pugnare omnino pudeat pigeatqve, in qvo cum protervitate animi & malitia certat mentis ſtupor & ignorantia, qvam ſtatim ab initio & per totum libellum famoſum, vel hoc ſolo prodis, qvod ne qvidem rectam vocabulum *Paragraphus* ſcribendi rationem didiciſti, cum ſemper §*pus* ſcripſeris, qva re pueris, qvi nates ferulæ nondum ſubduxerunt, ludibrium debes. Sed nec tecum ut cum adverſario agam, verum ut cum cane allatrante prætereuntes agere ſolemus, qvem, ut impudenti inſultu ſuo nobis moleſtiam facere deſinat, fuſte abigimus: talem te tractabo *FEGI*, qvo te nomine thraſonice jactas, tanqvam eum, qvi alios mire depexos dare noverit, cum non ſis niſi fuſte & ſtigmate dignus.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVM

Diſſertationis meæ.

Poteras ex SPENERI *Anteceſſione*, ut vocat, deſcriptum arguere, qvia utrobiqve *præjudicii auctoritatis* & *communium opinionum* mentio facta. Sed vidiſti magis e re tua fore, ſi recenſionem prologi mei plane omitteres, ne Lectori ſtatim ſuboleret, eum Spereninanæ Anteceſſioni eſſe oppoſitum, meqve in tota diſſertatione hoc egiſſe, ut communes ſententias, a Spenero ſine diſcrimine reprobatas, examinarem, & qvæ recte habent adverſus eum aſſererem, imprimis vero Sect. III. novæ *Speneri* doctrinæ, qvæ Vaſallis nimis iniqva eſt, & communem ſententiam de tacita feloniæ remiſſione penitus evertere contendit, ejusqve rationibus & dubiis facerem ſatis. Hæc omnia tibi diſſimulanda erant, ne proprio indicio materiam calumniæ perderes. Imo ut impudentia teipſum plane vinceres, fingendum à te fuit circa finem libelli tui famoſi, ſolum §phum (pro tua Orthographia *§vum*) ultimum diſſertationis meæ contra Speneri caput IV. directum eſſe. Eadem malignitate in

SECTIONE I.

Prætermittis §phum I. ubi ſolidæ doctrinæ de remiſſione feloniæ fundamentum præſtruitur, nimirum ſocietatem inter dominum & Vaſallum per feloniam diſſolvi, ſed qvemadmodum aliæ ſocietes, facto lædentis diſſolutæ, remiſſione læſi vel verbis, vel factis declarata redintegrari ſolent, ita & ſocietatem feudalem inſtaurari felonia remiſſa, vel expreſſe, vel tacite, qvod fiat per tales actus, qvi juſtam remiſſionis interpretationem ſecum ferunt. Etenim in his totius demonſtrationis vis poſita eſt, ſcilicet, cum *SPENERVS* tales actus vix dari contendat, &, qvi vulgo jactantur, juſtam, i. e. ex legibus vel argumentis legum & rationabilem interpretationem remiſſionis inferre neget, e contrario Doctores

communiter plures aliosqve actus, qvam qvi dictam interpretationem ſecum ferunt, admittant. Sed *hæ ſunt controverſiæ, qvæ ad rem tuam*, calumniandi & mentiendi libidinem, *non pertinent*, in qvas ne incideres, etiam deinde operam dediſti, teqve ita luminibus captum ſimulaſti, ut mente cœcus es!

§. 2.

Hic *Juris feudalis Alem. Cap. 60. §. 20.* una cum verſione Schilteriana à me adductum eſſe, dicis, verbis expreſſis, uti à Spenero *cit. diſſ. Cap. I. §. I.* Hoc unum non mentiris. Qvid enim? num putas me falſarium agere, & verba textus corrumpere, aut interpolare debuiſſe? An Spenerus verſionem Schilteri forte ex arcano qvodam manuſcripto protulit, ut eam non pariter ex Schiltero proferre potuerim? Qvid itaqve tibi vis? qvid cavillaris? Te judice plagiarius eſt, qvi textus juris iisdem verbis, qvibus ſcripti, & ab interpretibus translati, & ab aliis de eodem vel ſimili themate ſcribentibus allegati fuerunt, in medium affert. Te igitur auctore, omnes, qvi aliqvid de Jure commentantur, aut plagiarios oportet eſſe, aut ne tuam calumniam incurrant, falſum committere & Leges interpolatas adſcribere. Sed, qvod majus eſt, ex tua cenſura etiam is plagiarius audit, qvi eodem textu juris utitur, ut *alterum ex eo refellat*. Et, ut mendacium tuum ad oculum patescat, Spenerus ait, in Legibus Longobardorum ægre verbum reperiri, qvod plane remiſſionem feloniæ, ſive expreſſam, ſive tacitam deſignare poſſit: Jus feudale Alemannicum remiſſionis expreſſæ ſemel mentionem feciſſe. Deinde in *not. a)* ex verbis hujus textus: *Mit Mynnen*, elicit, vix remiſſionis tacitæ præſumtionem admitti. Ego e contrario de remiſſione feloniæ in jure Longob. æqve ac Alem. feudali luculenta extare loca dixi, & ex illo *II. F. 31.* adſcripſi, ex hoc *Cap. LX. §. 2.* repetii, & contra Spenerum docui, utrumqve textum tacitæ non minus, qvam expreſſæ veniæ applicari poſſe, nec aliud arguere verba illa: *Mit Mynnen*, qvia etiam ad blandas preces & ſubmiſſam implorationem ipſo facto domini reſponderi poſſit.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

Hic iterum criminaris, qvod non textus juris Alem. corruptos appoſuerim, deinde, qvod hoc §. nihil egerim, qvia noluerim demonſtrationem meam ambiguis ſuperſtruere. Hæc tam manifeſte putida ſunt, ut tibi, egregio falſorum & ineptiarum magiſtro, merito relinqvantur. Ceterum nemo non videbit, comparatione inſtituta, me in explicatione textuum Spenero, eos ad remisſionem tacitam ne qvidem obliqve reſpicere, ſi non ei repugnare, arguenti occurrere, adeoqve hoc §. nón omnino nihil egiſſe.

§. 4.

Bene vero habet, qvod qvamvis maxime perfricta tibi frons ſit, ex hoc tamen §pho Spenero nec per mendacium qvicqvam vindicare auſus fueris. Sed diſtinctio ibi propoſita in feloniæ remiſſionem *fictam* & *tacitam*, ſive præſumtam *a jure* & *ab homine* non in rem tuam erat.

§. 5.

Iterum omittis argumenta juris, quæ Spenerus non habet, qvæ qvidem majoris momenti ſunt, qvam ea, qvæ Spenerus ex Roſenthalio, Vultejo, Strykio attulit, qvos vel ideo eadem ſerie allegavi, qvia non diſſimulandum duxi, me ea ex Spenero referre, dum contra eum affirmo, pragmaticos ad iſta legum argumenta recte provocare,

§. 6.

Et hunc vero §phum intactum ſinis: qvia nihil in eo reperiſti, quod Spenero affingere poſſes adeoqve ad *rem tuam* non pertinet.

§. 7.

In hoc §pho nihil cum Spenero commune habeo, qvam qvod ipſi concedo, doctrinam communem, qva in univerſum dicitur, feloniæ remiſſionem tacitam, vel ex facto, vel ex patien-

tia

Digitized by Google

tia domini, etiam ex facilioribus indiciis colligendam eſſe. Qvales vero in genere actus ad inducendam tacitam feloniæ veniam reqvirantur, hujus rei definitionem a me tentatam mihi vindico, vel te fatente, qvi nec mentiri auſus es, te ſimiliter hæc apud Spenerum inveniſſe.

§. 8.

Jam dic, ubi Spenerus regulam hic a me propoſitam & declaratam de actibus, ex qvibus tacita feloniæ remiſſio recte colligatur, propoſuerit? Sed, ut Diaboli, ceu perfectiſſimi in arte calumniandi magiſtri, morem perfecte ſerves, iterum quæ tibi non inſerviunt, ſilentio præteris: ut tamen ignorantiam & ſtuporem ſimul novo argumento prodas, opinionem Spenerianam vocas, qvod feudum aut ipſo jure devolvatur ad dominum ob feloniam commiſſam, aut condictione cauſa data cauſa non ſecuta repetatur. Nonne Spenerus tibi videtur me major plagiarius, qui textus juris feudalis exſcripſit ſuumque fecit, quod omnes, qui commentarios vel compendia feudalia ſcripſerunt, ante ipſum dixerant.

§. 9.

Diſtinctam feloniæ in dominum commiſſæ, vel, ut delicti feudalis, vel ut injuriæ ſive alterius delicti in ſe ſpectati conſiderationem, qualem hoc §. dedi, Spenero fruſtra affingis. Provoco ad quemvis Lectorem ingenuum & intelligentem.

§. 10.

Hunc §phum ex Spenero transſcriptum, impudentiſſime arguis. Nimirum ex urceo amphoram feci. Octo lineis, in quibus ille hujusmodi remiſſionis tacitæ per conceſſam denuo inveſtituram, meminit, implevi duas paginas, licet charactere typorum minore uſus fuerim, quam Spenerus. Deinde hic modum illum negat, ego affirmo, & tamen, ut tu calumniaris, Spenerum exſcribo. Verum ejusmodi contradictoria mendacem maxime decent!

§. 11.

§. 11.

Hujus §hi eadem ratio eſt, quæ præcedentis, eademque bona ſide illa, quorum Spenerus nihil habet, etiam hic omittis.

§. 12.

Spenerus *loco cit*, communem ſententiam *de compellatione Vaſalli fidelis*, & inconcinnam rationem Schraderi ex Strykio refert. Ego eam doctrinam explico, ut par eſt, atque rationibus idoneis & exemplo illuſtri confirmo, deniqve limitationem neceſſariam adjicio; qvorum omnium apud Spenerum nec vola nec veſtigium. Et tamen hunc §phum ex Spenero exſcripſi.

§. 13.

Miſeret me tui, cui tanto ſudore anxie conqvirendæ fuerunt leges ex tribus diverſis diſſertationis capitibus, apud Spenerum diverſo fine allatæ, ne vel hic §. a plagio nota liber abiret. Miror, te non omnino allegatione legum mihi interdicere, qvia ab aliis jam fuerint allegatæ. Sed cur leges & rationes Spenero hic iterum oppoſitas retices? Scilicet eæ *ad ſcopum tuum* haud faciunt.

§. 14.

Nimis hic manifeſtum eſt mendacium tuum, qvam ut reſponſionem mereatur. Spenerum *l. c.* cum dictis hoc §. nemo comparabit, qvin temeritatem tuam deprehendat. Communem opinionem de remiſſione feloniæ per præſcriptionem me ſtabilitum ire, aperte profiteor, qvam Spenerus improbat, & Schilterum ſecus, ac ille, explico, qvod tu iterum cavillatorie prætermiſiſti.

§. 15.

Eſt, qvod mihi gratuler, tibi iterum non ſuccurriſſe, undenam reqviſita hoc §. conſtituta ex Speneri diſſertatione compilaverim.

§. 16.

Hic eadem repetenda forent, qvæ ad §. 13. regeſſi.

Digitized by Google

§. 17. 18. 19.

Hi itidem à calumnia tua ſalvi evaſerunt.

§. 20.

Maluiſſes tu qvidem, abſona & à ratione aliena me arripere, qvam eam ſententiam, in qvam Spenerus qvoqve, etſi invitus, conceſſit. Nemo autem, niſi qvi eodem tecum animi morbo laborat, mea hoc §. ex Spenero compilata dixerit. Saltem ea, qvæ Menochii & Thomaſii autoritate munita attuli, ne tu qvidem in Spenerum tranſtuliſti.

§. 21.

Bergerum & Hornium itidem citavit Spenerus *l. c.* An vero ob eandem rationem? Qvod cum ais, aperte mentiris. Spenerus proteſtationis, remiſſionem comitantis & præcedentis diſtinctam mentionem ne qvidem fecit, multo minus Cautelam à Bergero venditatam ſub examen revocavit, qvod me hoc §pho egiſſe, nemo non videt.

Pergo ad

SECTIONEM II.

Hac vero actum me agere, dicis, dum communes opiniones refellere intendo; ſiqvidem id jam Spenerus Cap. III. Diſſertationis ſuæ præſtiterit, unde etiam evenerit, ut argumenta mea ſint Speneriana. Et hanc calumniam facile detegit meorum comparatio cum Spenerianis. Ego ad regulam de actibus ad inducendam feloniæ tacitam remiſſionem idoneis, qvam in Sectione I. conſtitui, communes opiniones exigo, easqve refello, qvæ actibus ejusmodi minime nituntur, qvarum tres claſſes §. I. exhibeo. Qvid vero Spenerus? Is modos tacitæ feloniæ communiter agnitos omnes impugnat, etiam eos, qvos indubiam veniæ interpretationem ſecum ferre, Sectione præcedente evici, ut, inveſtituræ collationem, ſervitiorum exactionem aut acceptationem,

com-

Digitized by Google

compellationem Vaſalli & fidelis, conſenſum in alienationem & oppignorationem, imo & præſcriptionem. Poſtqvam igitur hos tacitæ feloniæ modos pro virili aſſerui, hac ſectione, in qvibus cum Spenero faciam deſertis communibus doctrinis, expono. Fieri autem non potuit, qvin opinionum communium, qvæ fundamento deſtituuntur, auctores & argumenta ex Spenero repeterem, qvod me feciſſe non modo non nego, ſed etiam affirmo. Porro in refellendis opinionibus, qvibus calculum adjiciendum eſſe nego, pariter oportuit qvædam argumenta cum Spenero communia habere. Num enim ea, qvæ ſana ratio cuiqve dictat & qvæ ex principiis Juris cuiqve ſuccurrunt, ideo omittenda erant, qvia Spenerus iisdem uſus fuerat? ſufficit, *præcipua & certæ regula innixa*, eſſe mea, neqve Spenerum eodem modo iisdemqve omnino argumentis vulgares doctrinas confutare, neqve eum actum agere, niſi per calumniam dici poſſe, qvi vel ab alio jam prolata novis rationibus confirmat, nedum, qvi alia plane via incedit proprioqve nexu demonſtrationis utitur, vt à me factum eſſe negari non poterit.

§. 2

An tibi *enarrare* & *refutare* idem eſt? Narras tu, narraſſe Spenerum. Fateris, me narrata refutaſſe. Hac confeſſione contentus ſum. Ita enim hoc §. aliqvid egi.

§. 3.

Jam dixi, me in communium opinionum, qvas improbo auctoribus & rationibus recenſendis Spenerum ſeqvi, non item in refutando. Limitationes, qvas de actibus vindicationi contrariis & de præſcriptione adjeci, id ſufficienter oſtendunt.

§. 4.

Summarium in margine huic §. appoſitum, nihil ulterius promittit, qvam *rationes contrariæ doctrinæ recenſeri*, qvæ Spho ſeqventi refutantur. Omnes itaqve afferendæ fuerunt, qvarum

Digitized by Google

Spenerus meminit, qvod non modo factum, ſed & plura ex Roſenthalio adjecta ſunt. Ceterum debebas Vultejum & Strykium, ut maximos plagiarios, notare. Nam: *Eadem verba ſunt, eadem Piſtoris laudatio apud Vultejum & Strykium*, inquit Spenerus Cap. II. §. 7. not. (n)

§. 5.

Suſpecta eſt phraſis, qva uteris, dum ais, *iisdem de rebus tractare Spenerum Cap. III. §. 10. 11.* Hoc ipſo enim profiteris, *me de illis rebus tractaſſe alio modo*; Qvod eſt ſatis. Nimirum vicit hic veritatis vis, Lectori in oculos incurrens, tuam calumniandi & mentiendi libidinem. Neqve enim diſtinctam Actionis de felonia conſiderationem & refutationem argumenti, à remediis poenalibus ducti, inde derivatam Spenero vindicare poteras, nec reliqvas obſervationes hoc §. allatas.

§. 6.

Hic iterum in theſi convenio cum Spenero, minime vero in rationibus allatis, dum injuriarum Actionem ab Actione de felonia ſecerno, & ad dubia à Roſenthalio obmota ſingulatim reſpondeo. Etiam hic, dum legitur & confertur utraque diſputatio, optime calumnia tua refutatur.

§. 7.

Fateris, ſententiam Schraderi Conſ. I. n. 161. a Spenero tantum adductam, a me vero eandem refutatam eſſe. Non eſt, qvod regerere neceſſum habeam. Nam ſicut illud citra præjudicium largior, ita hoc affirmo mihiqve vindico.

§. 8.

Credideram, te reſipiſcere, & ad bonam mentem redire velle, cum ad §. præcedentem tam vera ſcripſiſſes. Sed redit, jam in alteram naturam tibi converſa, mentiendi conſvetudo. *Eadem loca, ob easdem cauſas* hoc §. a me, ut a Spenero, conjungi nugaris. Qvis vero, mea legens, non videt, me documentum,

Digitized by Google

mentum, qvo remittendi animus declaratur, poſt fata domini in archivo repertum, ad tacitam remiſſionem pertinere negare, illudqve ad expreſſam referre, cum e contra Spenerus omnem effectum ei negaverit? Ergo nec hic actum egi, Falſidice Fegi!

SECTIO III.

Hoc reſtabat, ut hanc qvoqve Sectionem ex Speneri diſſertatione deſcriptam argueres. Et poteras id cum ſpecie agere multo majori, qvam qvidem egiſti. Ecce enim! Non tantum leges & rationes à Spenero allatas repeto, ſed etiam ipſa ejus verba transſcribo. Sed tu magis *e re tua*, putaſti, fore, ſi hoc diſſimulares, ne, collatione inſtituta, Lector deprehenderet infame mendacium tuum, qvo, ſolum §. 14. hujus Sectionis Spenero oppoſitum eſſe, haud veritus es comminiſci.

§. 2.

Ea enim impudentia tua factum eſt, ut textus Juris feud. Alem. Sectione I. §. 2. 3. adductos me repetiiſſe & ſententiam Oberti de Orto II. F. I. iisdem verbis expreſſis, qvibus à Spenero Cap. I. §. 7. allata eſt, adjunxiſſe, tum vero in margine, *loca Speneriana & opinionem Sectioni I. §. 2 conformem hic haberi*, dixeris. Sed reticuiſti, hæc omnia a me afferri, ut refellerem doctrinam Speneri, qvaſi remiſſio feloniæ tacita eſſet omni juri incognita.

§. 3.

Dum hoc ago, ut textus, qvibuscum tacita feloniæ remiſſio pugnare dicitur Spenero, recte explicando & limitando removeam, ſane non potui non eosdem textus referre ex illis Diſſert. Spenerianæ §§., adverſus quos diſputo.

§. 4.

Ratiocinium Speneri, qvod hic appoſui & confutavi, intactum relinqvis: ſaltem textus, ex qvibus illud formatum eſt appoſitos eſſe, mones & communi opinioni conformem explicatio-

nem fieri. Sed in limine diſſertationis ſignificavi, me communem opinionem, qvatenus rationabilis eſt, a novaturiente doctrina eſſe vindicaturum. Hoc dum egi certe nec Spenerum exſcripſi, cujus ratiocinium refello, nec alium, qvi Spenerianum hoc ratiocinium reſolverit.

§. 5.

Vide modo ſummarium huic §pho a me adſcriptum, qvod ſic habet: *Variæ rationes, qvibus juri feudali & juribus domini adverſa dicitur tacita remiſſio, ſubmoventur.* Variæ illæ rationes ſunt, qvas Spenerus excitavit. Eas vero tacitæ remiſſioni æqve minus obſtare, ac expreſſæ, oſtendo. Cuinam hoc vindicas?

§. 6.

Eadem hic repetita velim, qvæ ad §. præcedentem repoſui.

§. 7.

Cur vero Speneriana παρεργήματα hic detecta iterum ſiles? Nimirum, & qvid hic revera egerim, indicare, non erat *ad rem tuam* h. e. calumniandi propoſito non inſerviebat.

§. 8. 9. 10, 11.

Ita qvoqve cum his qvatuor §§. res ſe habere tibi videbatur, in qvibus nihil præcipui me in lucem protuliſſe, ais, ſiqvidem ſint communes opiniones, qvas omnes enarravit Spenerus. Addere debebas: *& confutare intendit.* Dum vero Spenerum fruſtra hoc egiſſe, &, neqve inveſtituram novam in luſum & jocum vertere, neqve ſervitiis Vaſallorum ad eos fallendos abuti licere, neqve Vaſalli & fidelis compellationem eſſe inania honoris nomina, denique diverſam plane eſſe creditoris & domini directi rationem circa conſenſum in alienationem, demonſtro, utiqve me aliqvid præſtitiſſe puto, qvod, cujus pretii habendum ſit, ab æqvi & intelligentis Lectoris judicio, non a tuo maledicendi pruritu pendet.

§. 12.

Qvidni hos textus, ex qvibus præſcriptionem feloniæ negari poſſe exiſtimavit, expreſſis verbis adduxerit Spenerus? Qvidni, dum

dum ego eandem præſcriptionem aſſero, eorundem textuum mentionem fecerim? Sed imo eos aliter expoſui & dubia Speneriana reſolvi *pro aſſerenda communi opinione* qvod in margine recte indicas.

§. 13.

Dum hoc §. proteſtationem, inveſtituræ adjectam, remiſſionis effectum haud impedire, contra Spenerum defendo, Lectorem remitto ad illa, qvæ circa finem Sectionis I. de hac proteſtatione facto contraria diſſerui. Ibi vero §. penult. nominatim appellavi Strykium, ejus ſententiæ patronum. Hunc vero dum laudavi, ejusqve dicta ulterius ſtabilivi, non eſt, qvod de plagii crimine, mihi jure objiciendo, metuam.

§. 14.

Hic integrum Speneri Caput IV. in unum §phum transſcripſi, qvod tu non animadvertis, ſed opinionem, communi conformem defendi notas O te hominem acutum & veracem! Hic demum Spenerum a me oppugnari, ais, qvod in tota diſſertatione factum eſſe, exceptis iis, in qvibus Sectione II. cum Spenero me qvadantenus convenire ſupra indicavi, credo, te partim ob ſtupiditatem tuam minime intellexiſſe, majorem vero partem, ob propoſitum me diffamandi, intelligere noluiſſe. Qvibus vero tu beabis publicum propriis ingenii tui monumentis, in qvibus nihil ſit aliunde ſumtum, & qvod ab aliqvo mortalium dictum ſit prius! Tu novas leges nemini hactenus notas dictasve & oracula Themidis nova enunciabis! Nam nec doctrinas communes defendere, nec novas amplecti, nec ex utrisqve qvædam eligere tibi licet, niſi proprio judicio tuo velis manifeſti plagii damnari. Ita fert argumentatio tua: *Qvicunqve opiniones defendit aut communes, aut novas & ſingulares recentiores alicujus JCti, legibus, ſententiis Doctorum & rationibus iisdem adductis, ille eſt plagiarius:* Ergo omnes, qvi in ſcribendo eclecticos agunt, plagiarios eſſe oportebit. Qvæ enim ſophiſtica tua argumentandi ratio eſt, haud diſtingvis,

ſtingvis, utrum leges, rationes & auctoritates eædem *pro, an contra*, adducantur, num *eæ ſolæ* afferantur, *an aliis potioribus* tantum acceſſerint, num *explicentur aliter*, & num alius demonſtrandi nexus adhibitus fuerit, *an minus?* Sed bene cum re literaria agitur, qvod de te judice & cenſore ſcriptorum, qvæ in publicum eduntur, conſtituendo adhuc cogitavit nemo, neqve in poſterum qvisqvam cogitabit, de te, inqvam, qvi ne qvidem, in prima Grammaticæ parte profeciſti, qvantum vero ſcientiæ & judicii tibi deeſt, tantum malitiâ & calumniandi libidine te abundare ac libellos famoſos procudendi dexteritate pollere, teſtatum feciſti.

TANTVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Errata.

Pag. 5, lin. 5. Spenerianæ, p. 6, lin. 2, admittant, lin. 20, ut,

Digitized by Google